

signatas. Huius rei testes sunt praedictus burgravius, domini videlicet Alb. de Gubin, Herm. praepositus Budissinensis, Bolbertus de Mulhusin, magister Arn. de Rydebech canonici ecclesiae Misnensis, magister Paulus perpetuus vicarius, Johannes plebanus in Lesnitz, Conradus de Munen, Theodericus Magnus et quamplures alii, quibus fides est adhibenda.

Et nos Alb. praepositus et Apetzko decanus eadem gratia totumque capitulum ecclesiae Misnensis praedictae dictos contractus hinc inde factos ex certa scientia gratos et ratos habentes approbamus harum serie litterarum nostri capituli sigilli munimine signatarum. Datum et actum Misnae in castro anno domini millesimo CCC°XXXVII° feria secunda proxima ante diem beati Johannis apostoli et evangelistae ante portam latinam.

Nach zwei Originalen im Stiftsarchiv zu Meissen; bei A hängt das Siegel des Bischofs an Fäden von rother, das des Capitels an Fäden von rother und grüner Seide, bei B beide Siegel gleichmässig an Fäden von grüner Seide.

No. 424. 1337. 14. Aug.

Nikolaus, Offizial der Probstei entscheidet einen Streit dreier Vicare der Domkirche mit Johann und Dietrich von Schonenberg wegen einer Zehentforderung.

In nomine domini amen. Nos Nicolaus officialis praepositurae Misnensis cognitor causae decimalis vertentis inter discretos viros Albertum Echardi, Thomam et Petrum Reinhardi, perpetuos Misnensis ecclesiae vicarios, actores ex una, et strenuos milites Johannem et Theodericum de Schonenberg reos parte ex altera, debito iuris ordine observato, quem dicta causa requirit, invenimus per ea, quae coram nobis proposita sunt hinc inde et probata, iam dictos vicarios iustam habere causam ex eo, quod quilibet mansus in villa Sczachow^a) exceptis tribus, qui plenam et integram dant decimam, dimidium scocum siliginis et totidem avenae episcopalis decimae dare consueverat ex antiquo, etiam quia maior pars testium ipsorum de Schonenberg fatetur se dedisse debitam decimam de dimidio allodio vel de toto, sicut dicti repetunt actores in actis plenius ut apparet. Igitur cum saepe dicti milites de Schonenberg in dicta villa Sczachow duodecim colunt mansos, sex rusticales et sex ad allodium pertinentes, de duodecim mansis decimam, scilicet sex scocos siliginis et tantum avenae parvorum manipulorum vel tres scocos siliginis et tantum avenae magnorum manipulorum dare singulis annis tenebuntur. Et hoc de consilio sapientum diffinimus et sententiando pronunciamus in nomine domini per praesentes, et ad solvendas expensas, quas dicti actores in lite fecerunt, dictos reos similiter condemnamus, taxatione tamen earum nobis in posterum reservata. Lata est haec sententia Misnae in ambitu ecclesiae Misnensis anno dom. M°.CCC°.XXXVII°. in vigilia assumptionis Mariae virginis gloriosae, praesentibus honorabilibus viris ac dominis, Hermanno praeposito Budissinensis ecclesiae, Conrado de Nova Civitate, Michaele plebano in Dresden canonicis Misnensis ecclesiae, et Jacobo custode eiusdem ecclesiae ac discretis viris Hermanno de Cerin et Burchardo perpetuis vicariis eiusdem ecclesiae et aliis quam pluribus idoneis ac fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen; an einem Pergamentstreifen hängen Bruchstücke des Siegels.

a) Zschochau, Eph. Oschatz.